



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Dissertatio Prima De Scriptoribus Historiae Prussicae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850



DISSERTATIO PRIMA

De

Scriptoribus Historiæ Prussicæ.



Antiquitates Prussicas breviter pertractaturi, de Scriptoribus Historiæ Prussicæ in antecessum agemus, ut appareat, per quos profecerimus, alique habeant, quos in simili studio sequantur Duces.

Primus igitur Historiæ Prussicæ Scriptor, ex sententia Simonis Grunovii, est JAROSLAUS Plocensis in Masovia Præpositus, qui de Prussis Librum composuisse, inscriptionemque ei sequentem præfixisse dicitur: *Liber Originis & furiarum gentis indomitæ Brutorum in sanguinem Christianum*: Quousque Historiam suam Jaroslaus pertexuerit, indicat idem Grunovius, licet obscure, his verbis: *Und als Er Ihr Nachbar war / beschreibet Er Ihren Zustand bis auf Ihre Unsinnigkeit*. Vid. Grunov. in *Dedicatione Chronici Prussie*.

Secundus, ex ejusdem Grunovii sententia, fuit Christianus primus Episcopus Culmenfis qui Conrado Masoviæ Duci auctor fuit, ut contra Prussos Fratres Ordinis Teutonici evocaret. Hic Christianus Historiam suam sic orditur: *Liber filiorum Belial cum suis superstitionibus Bruticæ factionis incipit cum mæstria cordis*. Multa autem hunc debere Jaroslao, testatur Simon Grunovius *l. c.* Verum ut ut Grunovius se hujus, ut & prioris, libros legisse testetur, possêt

A 2

tamen

tamen quispiam de his scriptis, an unquam extiterint, dubitare. Si enim primò tunc ejusmodi libri extitissent, certè Scriptores Polonici, vel etiam Prussici Vetustiores eorum fecissent mentionem. Jam, verò neque Commentator Vincentii Kadlubkonis, qui initio seculi XV. vixit, neque Johannes Dlugosius, neque alius quispiam ex antiquioribus Historiæ Prussicæ Scriptoribus eorum faciunt mentionem. Deinde Scriptores Polonici & Prussici Vetustiores, qui antè Simon. Grunovium Historiam Prussicam literis consignarunt, eadem de Origine & Idololatria Prussorum Veterum aut ipsi tradidissent. Nos verò prorsus alia de Origine & Idololatria gentis hujus apud antiquos Prussicæ Historiæ Conditores reperimus, quam quæ ex Jaroslao & Christiano. Grunovius producit, ut ex Notis nostris ad Dusburgium postea apparebit. Tandem Dusburgius noster in præfatione, de modo agendi libri hujus, dicit: se ad hoc opus esse minus idoneum, quia Res ab Ordine Teutonico primis temporibus gestæ jam tum à memoriâ hominum recesserant; quod dicere fortasse non potuisset, si Jaroslai & Christiani Historias ad manus habuisset.

His ætate suppar, vel etiam paulò antiquior, esse putatur, qui initium Chronici ordinis (vulgò appellatur *Ordens-Chronic* / seu *Zohemeister-Chronic*) conscripsit. In quodam enim Exemplari Chronici hujus (quod Johannes à Weissenfels ex antiquiori Codice Ann. 1550. descripsit) Prologum Chronici hujus, ut & Chronicon ipsum, Reverendus *EPISCOPUS PADERBORNENSIS* composuisse dicitur. Addit etiam idem Joannes à Weissenfels, Episcopum hunc cum Cæsare Friderico in Palestinam ivisse; submersò verò Imperatore eundem cum Friderico Duce Sueviæ, filio Cæsaris aliisque Episcopis & Magnatibus in Palestina mansisse, interfuisse, etiam institutioni Ordinis Teutonici; post captam deinde Acconam cum Episcopo Bremensi ad Papam & Cæsarem fuisse missum. Sed & hæc, licet à plurimis vulgò credantur, dubio non carent; Si enim eorum temporum Historiam consulamus, nullum tunc Episcopum, Paderbornensem expeditioni sacræ interfuisse cognoscimus, nisi forte dicere velimus, Chronicon hoc adscribendum esse non Episcopo, sed Advocato Ecclesiæ Paderbornensis, qui in Palæstina fuisse memoratur. Sic enim hæc de re Gobelinus Persona ad Annum M C LXXXVII: *Eodem Anno Sigfridus Episcopus Paderbornensis obiit,*

obit, & successit ei Bernhardus II. qui præfuit Ecclesiæ Annis 16. An. Dn. M C LXXXIX. Imperator cum multis Principibus Romani Imperii versus terram sanctam se contulit & tunc Wulkyndus Advocatus Ecclesiæ Paderbornensis Comes de Svalenberg & de Waldegge Advocationem suam in manus Domini Bernardi Episcopi resignavit in presentia Priorum & Conventus totius Paderbornensis Ecclesiæ, adstantibus fratribus ipsius Hermanno & Henrico, & si quid juris in ea haberent etiam abdicantibus. Et sic Testamento suo condito iter Hierosolymitanum cum Imperatore (Henrico) arripuit. Hæc Gobelinus Persona in *Cosmographio etat. VI. cap. LX. pag. 228.* De alio, qui ex Episcopatu Paderbornensi in Palæstinam sit profectus, vix quicquam reperias: Sed si ille sit Episcopus, si Advocatus, vix ipsi quicquam, præter Prologum, tribuere possumus. Nam non longè à principio ipsius Chronici citatur Sabellicus, ut & Joannes Annius Viterbiensis; Et in alio Codice ejusdem Chronici, Aventini quoque fit mentio. Certum tamen est, continuationem hanc scriptam esse adhuc temporibus Ordinis Teutonici post medium Sec. XV. Est adhuc Chronicon illud in multorum manibus.

PETRUS de DUSBURG igitur primus est, de cujus ætate dubitare non possumus? Scripsit enim hic Chronicon Prussiæ sub initium Sec. XIV. ut ex Dedicatione manifestum est: Fuit autem frater & Sacerdos non Livonensium Equitum, ut vult Albertus Wijuk Kojalovicz *Part. 1. Hist. Lith. lib. 1. pag. 35.* sed Ordinis Teutonici in Prussia, teste Nicol. Jeroschino in *Præfat. Conf. & Dedicatio Dusburgi.* Utrum fuerit patriâ Dusburgensis, an verò hoc ipsius fuerit cognomen, dubitari posset, licet prius sit verisimilius, utpote quod multis aliorum Exemplis probari potest. Ex ea quoque ratione Auctorem hunc in Animadversionibus nostris sæpius appellamus Dusburgensem.

NICOLAUS JEROSCHINUS Chronicon Patri de Dusburg in Germanicos Versus transfudit, Dieterico ab Aldenburg Prussis imperante, circa Annum 1340. quamvis & antea tempore Luderi Ducis Brunsvicensis Magistri Generalis simile quid tentaverit. Testatur hoc ipse Jeroschinus in *Præfatione sui Chronici*, ubi etiam se appellat Ordinis Teutonici Cappellanum; Convertit Dusburgii Chronicon satis fideliter in linguam Germanicam, tamen hinc indè quædam

dam addit, ut in Notis ipsis ad Dusburgium annotabimus. Habetur Chronicon Jeroschini in Bibliothecâ Electorali Regiomontanâ in Codice membranaceo eleganter descriptum.

Habetur etiam in Bibliothecâ Regiomontanâ Electorali antiquum Chronicon ANONYMI CUJUSDAM lingvâ Germanicâ scriptum, in Codice Chartaceo in formâ, ut vocant, quartâ. Hoc ex Dusburgii Chronico ferè ad Verbum conversum est, quibusdam tamen hinc indè omisiss; Synchronismis etiam Dusburgii in contextum, non semper tamen suo loco, insertis. Addita est Continuatio usque in annum 1422. quo Paulus à Rusdorff in Magistrum Generalem electus est; sed Continuatio illa brevior est. Ex quo colligere licet, Auctorem hujus Chronici tempore Pauli de Rusdorff vixisse. Laudamus illud Chronicon non rarò in Animadversionibus nostris ad Dusburgium.

WIGANDUS de MARPURG Frater Ordinis Teutonici Jeroschinum imitatus, continuavit Dusburgium Germanicis Versibus usque in Annum 1394. teste Casp. Schuzio in Indice Scriptorum Prussicorum.

MAGISTER ALEXIUS à NISWIZ Sacerdos Thoruniensis Chronicon suum sic inscripsit: *Liber Antiquitatum Vitæ & Mortis Gentis Brutenorum aut Brudenorum jam Prussorum cum insertione novarum Provinciarum.* Incipit Historiam suam ab Anno 1326. in quo Dusburgius Chronicon suum terminaverat, pertexitque eandem, usque in tempora Vinrici à Kniprode. Occisus est Alexius ille à quodam Aulico, eò quod Magistros magis curare crumenas Prussorum quam fidem & conversionem scripserat, ut autor est Simon Grunovius in *Præfat. Chron. Prussie.*

JOHANNES Lindenblat Officialis Risenburgensis, contexit Historiam à Magistro Vinrico usque ad Magistrum Conradum ab *Erlichshausen.* Initium ejus Historiæ est. *Alhie fâhet sich an die Beschreibung des langen Jammers der von Preussen.* vid. Simon. Grunov. *loc. cit.*

JOANNES Lindow Secretarius Dantiscanus, descripsit Bellum Polonicum 13. annos suo tempore gestum, teste Schuzio *loc. cit.* & Reinoldo Curicken *libr. 2. Description. Urb. Dantisc. cap. 18.*

HEN.

HENRICUS CAPER scripsit Historiam sui temporis, obiit Anno Dn. 1457. ætatis v. An. 91. Schuz. *loc. cit.*

CHRONICON MONACHORUM ELBINGENSIVM fabulis repletum commemorat etiam Schuz. *loc. cit.*

CHRONICON SUCCINCTVM Latino Idiome scriptum. Anonymi cujusdam habetur Regiomonti in Volumine quodam Bibliothecæ Palæopolitana, subjunctumque est actis Belli Polonici tempore Alberti Marchionis Brandenburgici Magistri Prussiæ gesti. Auctor hujus Chronici vixit Joanne à Tieffen, aut Friderico Sax. Duce, Prussiam administrante; produxit quippè Historiam suam tantum, usque ad Martinum Truchsessium, de quo sequentia tantum habet. *Martinus Truchsessius hujus S. Religionis Magister 31. Vir ad omnia in humanis agenda paratissimus de quo fertur: In domibus Monachus in campis Leo fuit. Hic Polonis infestus fuit.* Hæc ibi. Deinde subjunguntur (an ab eodem Auctore non liquet) tria Epitaphia in obitu Truchsessii, nempe à Joanne Pedemontano, Christophoro Fingen, & Hieronymo Tridentino scripta. Fuit autem hic Auctor Ordini Teutonico addictissimus. Hinc in Civitates Ordinesque Prussiæ ut & in Reges Polonia non rarè immane quantum debachatur: sædus, quod Ordines Prussiæ inter se contra Ordinem Teutonicum pepigerunt, audit ipsi: *Maledicta congeries omnium traditionum, quam quidem Civitates Prussiæ inceperunt in Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, terminaverunt autem in Nomine singulorum Demoniorum.* Casimirum quoque Regem Polonia ore sacrilego appellat: *maledictum ac impiissimum Regem.* item, *Infidelissimum Regem.* In Henrico à Richtenberg habet quædam de duobus Episcopis Varmiensibus, Nicolao à Tungen & Luca Wattelrad. Cum verò in horum posteriorem omne Virus suum evomisset, addit: *Hic in Curia lites habuit, Causa adhuc in dubio pender. Vellet DEUS ut hic Carnens Diabolus, quod indies à DEO postulamus, è mediò sublatus esset, ne, si diutius viveret, plura mala adinveniret.* Ex quibus etiam cognoscimus Chronicon hoc scriptum esse ante obitum dicti Episcopi, qui Ann. 1512. veneno è mediò sublatus est.

ERASMUS STELLA Libanothantus, Vir eruditus, conscripsit libros duos Antiquitatum Borussia, eosque nuncupavit Friderico Saxoni Magistro Ordin. Teutonici Generali. Habentur illi in corpore *Histor. Polonia Tom. I.*

SIMON

SIMON GRUNOVIVS Tolkemitanus Monachus Ord. Prædicatorum, (ut se ipsum appellat in Dedicatione Operis sui) scripsit Germanico Idiomate Chronicon Prussiæ viginti duobus, ut vocat, Tractatibus comprehensum. Priores novem Tractatus perlegi in Exemplari Amplissimi Domini Michaëlis Kirstenii, Consulis Brunsbergensis, qui Grunovium totum ab avo suo Thoma Kirstenio descriptum & ad se jure hæreditario devolutum, diligenter asservat. Reliquos Tractatus inveni in Cod. M. S. Per-Illustris & Generosissimi Domini Joannis Ernesti à Wallenrod, Supremi Prussiæ Ducalis Aulae Magistri. In primo Tractatu tradit Grunovius descriptionem Prussiæ Geographicam. In secundo agit de migratione Gothorum in Prussiam ex Scandia. In tertio de Religione Prussorum Veterum: In quarto de Bellis Veterum Prussorum. In quinto de Origine Ordinis Teutonici in Palæstinâ. In sexto de ingressu Ordinis in Prussiam, per quem Prussiam Pontifici acquisitam esse scribit. In octavo de causis, cur prussi sexies à Fide Christiana & simul ab Ordine Teutonico defecerint. In nono libro agit de Episcopatibus, templis & Monasteriis in Prussia. In decimo de Schlavoniorum defectione. In undecimo de statu Prussiæ sub Magistris Ordinis Teutonici. In duodecimo de Causis bellorum cum Polonis gestorum. In tertio decimo de Prussia, cum esset in flore suo. In decimo quarto de Tyrannide Fratrum Ordinis contra Polonos. In decimo quinto de pugna Tannebergensi. In decimo sexto de discordia Fratrum & terrarum Prussiæ. In decimo septimo de Prussorum ad Polonos transitu. In duodevigesimo de bello duodecennali & pace Polonica. In undevigesimo de Friderico Marchione Misnie & Magistro Ordinis. In vicesimo de bello Alberti Marchionis Brandenburgici contra Polonos. In vicesimo primo de bello quod ducebatur à Magistris *der Francken Krieg* sive *Reuter Krieg*. In vicesimo secundo de Reformatione per Lutherum facta, quam Causam esse dicit, cur prussia indies magis magisque decrescat. Dedicavit Grunovius Historiam hanc suam Sigismundo I. Regi Poloniæ, Episcopis palatinis & incolis prussiæ. Laudat hoc opus maximoperè Thomas Clagius Jesuita *lib. 2. de Virgine Lindensi cap. 2. p. 170.* ubi Grunovius ab ipso dicitur; *Pruthenâ primus in Historiâ, & lib. 1. cap. 7. pag. 36. Inter rerum Prussicarum scriptores facile Princeps.* Et certe

certè Grunovius suâ non potest privari laude, ut vel ex Notis nostris in Dusburgium apparebit, accuratè siquidem Veterum prussorum Idololatriam (licet in eâ materiâ plurima mihi sint suspecta) describit, Episcopatus etiam Prussicos uberius ac fufius persequitur. Successiones deniq; Magistrorum diligentius observat, quamvis in annis ipsis assignandis non rarò erret, quos tamen errores ipse deprecatur, rogatque Lectorem, ne tam sibi quam corruptis Codicibus, quibus usus est, eos adscribat.

PAULUS POL Diaconus Regiomontanus in Veteri urbe collegit Chronicon suum ex variis auctoribus An. 1532. ut ipse testatur in *Prefat. Chron. M. S.* quod habetur in Curia Veteris Urbis Regiomontanæ,

THOMAS TRETERUS Vitas Episcoporum Varmiensium, quas Joannes Crezmerus Ecclesiæ Varmiensis Decanus Linguâ Germanicâ ex Annalibus Tabularii Heilsbergensis collegerat, convertit in Latinam Linguam, ut ipse de se testatur in *Prologo hujus libri*. Obiit Thomas Treterus An. 1610.

JOANNES PLASTING scripsit itidem vitas Episcoporum Varmiensium, ex quibus Excerpta tantum quædam apud Amicum vidi. Est & penes me libellus M. S. nescio cujus auctoris de Episcopatu Varmiensî, in quo plurima reperiuntur Pontificum Romanorum Diplomata, aliaque notatu digna.

M. CASPAR SCHUZZ, (qui An. 1561. electus est Secretarius Gedanensis, teste Reinholdo Curiken in *Descript. Urb. Gedanens. lib. II. cap. 18.*) scripsit Chronicon Prussiæ undecim libris comprehensum, quorum tantum decem lucem viderunt, undecimus adhuc latet M. S. De hujus operis præstantiâ multa dici possent; sed Vino vendibili non opus est hederâ.

CASPARUS HENNEBERGERUS edidit An. 1584. libellum de Prussia Veteri, item de Divisione prussiæ, & brevem Magistrorum enumerationem in formâ, ut vocant, quartâ. Deindè utilissimam impendit operam Tabulæ prussiæ Geographicæ concinnandæ. Tandem etiam An. 1595. conscripsit copiosa ad tab. pruss. Geographicam Commentaria; Opus certè quantivis pretii, quod tamen multò pluris æstimari potuisset, nisi tot anilibus Historiolis esset descædatum.

THOMAS WAISSÉLIUS Bartensteinensis, pastor Langhelmen-
 mensis, scripsit An. 1599. Chronicon prussiae, Livoniae & Curlandiae,
 deduxitq; illud usque in annum 1525. quo Albertus Marchio Bran-
 denburg. positus Ordin. Teuton. insignibus habitu & nomine factus est
 Dux prussiae. Exscripsit autem Waisselius suum Chronicon ex Chro-
 nico Ordinis totidem ferè Verbis, insertis tantum hinc inde quibus-
 dam aliis, subjunctaque Continuatione. Satius verò facturus du-
 bio procul fuisset, si Chronicon illud Ordinis Notis illustratum & ad
 sua usque tempora continuatum publici Juris fecisset.

M. GEORGIUS RANIS scripsit Chronicon prussiae succin-
 ctum, quod tamen sine nomine Auctoris editum est Elbingæ, teste
 Hennebergero in lib. de Vet. Pruss. fol. 1. b. Forsan autem hoc ipsum
 est Chronicon, quod edidit Wolfgangus Dietmarus Typographus
 Elbingensis An. 1564.

JOANNES DAUBMANNUS Typographus Regiomonta-
 nus edidit quoque Chronicon prussiae succinctum Germanico sermo-
 ne concinnatum. Impressum hoc est An. 1566. Regiomonti in for-
 mâ, ut vocant, quartâ.

M. DIONYSIUS RUNOW Dirfaviensis prussus, descri-
 fit bellum prussicum ab An. 1454. usque ad An. 1466. gestum. Ad-
 jecit & Descriptionem belli biennalis inter Sigismundum I. Regem
 poloniae & Albertum Magistrum. Impressus est liber Wittebergæ
 An. 1282.

MARTINUS MURINIUS Chronicon quoddam Ger-
 manicum superiori seculo in Lingvam polonicam transfudit, publi-
 cique juris fecit. Cumque hujus libri Exemplaria essent distracta,
 adornavit alteram editionem Simon Kempinius Typographus Cra-
 coviensis, quam Thoruniensibus, quibus & prior editio fuerat dedi-
 cata, An. 1606. nuncupavit.

JOANNES MELETIUS Archipresbyter Lyccensis, licet
 Historiam prussicam non scripserit, ejus tamen Epistola ad Geor-
 gium Sabinum, primum Academiae Regiomontanae Rectorem,
 Prussorum Veterum Idololatriam nobis eleganter exponit. Ex-
 stant ejus satis multae Editiones. Primam ipse Auctor edidit anno 1551.
 Regiomonti. Deinde vero anno 1563, eandem revisam recudi
 curavit.

præter

Præter hæcenus enumeratos dantur adhuc ex superiore seculo alia plurima Chronica MSS. Ut enim *GEORGIUM MELMANNUM*, *M. PETRUM ZIMMELREICH* / *BARTHOLOMÆUM WARZMANNUM*, *STANISLAUM BURBACHIUM*, *AMBROSIUM LOBWASSERUM*, aliosque, quos Caspar Schuz & Caspar Henneberger in principio Chronicorum suorum enumerant, præteream, quosdam tantum, quorum illi nullam faciunt mentionem, commemorabo:

Asservatur Regiomonti in Curia Palæopolitana Chronicon satis accuratum *JOANNIS FREIBERGII*, quod multa continet superiori seculo cum primis Regiomonti gesta. Habet etiam Magnus atque Generosus Dominus Gabriel *Brumhausen* / Praefatus Gedanensis duo Chronica MSS. quorum alterum *ABRAHAMUS FROTH*, Ludimagister Lesevicensis anno 1558. alterum *GEORGIUS PIDEMAN* anno 1586. congesere. Est etiam Thorunii penes Magnificum Dominum Danieleum Wachschlagerum, Cos. Thorun. meritissimum, Chronicon Germ. MS. quod etiam evoluisse me non pœnitet.

Seculo XVII. qui rebus Prussicis conscribendis manum admo-verunt sunt ferè sequentes.

JOANNES LEO, Canonicus Gutstadiensis conscripsit Chronicon Prussiae Latino Idiome initio hujus seculi; perduxit, autem illud usque ad sua tempora. Asservatur adhuc MS. Gutstadii, mihi tamen illud videre non contigit.

ANONYMUS QUIDAM scripsit anno 1657. Historiam Prussicam Belgicè imprimendamq; eam curavit Harlemi dicto anno. Tametsi verò auctor ejus profitetur, se Historiam suam ex multis Scriptoribus collegisse, nihil tamen hîc præstitit aliud, nisi quod ad Verbum ferè tres libellos Hennebergeri de Veteri Prussia in Linguam Belgicam convertit, adjectâ brevissimâ Rerum Prussicarum Continuatione.

COELESTINUS MISLENTA, S. S. Theol. Doctor, ejusdemque in Academiâ Regiomontanâ P. P. egit de Religione Prussorum in prolegomenis ad Manuale Pruthenicum.

THOMAS CLAGIUS Jesuita in libro de Virgine Lindenfi, sive in Linda Mariana, multa habet ad Religionem Prussorum scientia.

REINOLDUS CURIKE, Secretarius Urbis Gedanensis, Descriptionem urbis Dantiscanæ Lingvâ Germanicâ quatuor libris complexus est. An. 1645. quæ tamen typis nondum est impressa: In primo libro tradit Topographicam urbis Gedanensis delineationem agitque de ipsius urbis Origine. In secundo libro habet formam Regininis. In tertio enarrat bella Prussica, maximè verò Gedanensia. In quarto libro agit de Religione ejusque in urbe Gedanensi mutatione. Obiit auctor ille anno 1667.

* * *

EX Polonicis Scriptoribus, qui res Prussicas attigerunt, præcipui sunt:

VINCENTIUS KADLUBKO de KARWOW, Episcopus Cracoviensis, Sec. XII. jussu Casimi Justi Chronicon Poloniae stylo rudiori Latino conscripsit. Editum est hoc Chronicum in lucem, Anno 1612. Dobromili.

JOHANNES DLUGOSSUS, Canonicus Cracoviensis, Seculo XV. condidit Annales Polonicos, quorum Tomus I. editus est Dobromili Anno 1615. Reliqui Libri MSS. reperiuntur adhuc Gedani in Monasterio Dominicanorum.

MATHIAS à MICHOVIA sive MIECHOVIUS, Astrologiæ & Medicinæ Doctor, Canonicus Cracoviensis, scripsit Chronica Poloniae Latino, sed rudiori, sermone. Prodiit opus illud post obitum Auctoris, teste Strykovio *lib. 2. Hist. Lithv. cap. V. fol. 41. & seqq.* Vixit Miechovius tempore Sigismundi I. Regis Poloniae circa an. 1520. ut patet ex ipsius Matthiæ Miechovii *lib. III. Chron. cap. 35.*

MARTINUS CROMERUS, Episcopus Varmiensis, Vir magnæ eruditionis, cujus rei historia Polonica testis esse potest.

MATTHIAS STRYKOWSKI OSSOSTEVICIUS, Canonicus Samogitiæ, qui magnam partem Europæ, Africae, & Asiæ peragravit, fuit etiam rerum Prussicarum peritissimus, ut Chron. ipsius Lithvaniæ Polonico idiomate scriptum satis superque testatur. Prodiit hoc Chronicon Strykovii anno 1582. Regiomonti. typis Georgii

Georgii Osterbergii impressum. Idem Strykovius etiam sibi vendicat libros de Sarmatia Europæa, qui sub nomine Alexandri Gvaginiani prodierunt. Habet hoc in margine ad vitam suam carmine Polonico descriptam, Historiæque Lithvanicæ præmissam, ubi dicit: *Italum illum ne legere quidem scivisse.* Deinde in *Præfat.* postquam Polonico sermone dixisset, se Vitepsciæ sub Italo quodam (hic est ipse Gvagvinus) tempore Henrici Regis stipendia merentem horis succisivis Descriptionem Sarmatiæ Europææ descripsisse Italumque illum sibi eam supposuisse, addit Latinè: *Etiamsi (DEUM optimum Max. appello) ne primis quidem Heliconis fontibus labra admoverit.* Jubet etiam quemvis, hoc experiri volentem, ejus rei periculum, facere, Italumque illum interrogare, de Origine hujus vel illius gentis in Sarmatia Europæa descriptæ, vel etiam de gestis alicujus Principis, de situ Provinciarum locisque ibidem descriptis. Et *lib. VI. Hist. Lith. cap. 13.* de Sarmatia illa Europæa verba faciens: Hæc Latina (dubio procul ut ab exteris etiam intelligi possent) intermiscet: *Abortivum in immatura edenda prole passa est; Illius enim nostri laboris cuius testem DEUM Opt. Max. contra conscientiam meam appello fructu per quendam Italum & eundem peditum in Vitepsia præfectum frustratus sum, qui quamvis ipse ne primis quidem Musarum fontibus labra admoverit, & prorsus literarum expertus fuerit, præfati libri Exemplar, ut populari satiaretur aurâ sub nomine suo quibusdam Verbis & sententiis (ut ipsius inventio inde appareat) facile immutatis, imprimendum dedit, Et sic nos non nobis &c.* Appellat ibidem Testem sui laboris Illustrissimum Dominum Stannislaum, Patium Palatinum Vitepscensem, aliamque Nobilitatem. Et certè Strykovii hoc esse opus multa persuadent. Fuit enim Strykovius lingvæ Germanicæ peritissimus: Usus etiam est quatuor Chronicis Livonicis & tribus Prussicis, ut & Dusburgio, aliis etiam duodecim Lithvanicis, ut initio operis sui testatur; quibus certè adjumentis destitutus fuit Gvagvinus, adeò ut (me fugiat, unde ille tantam rerum Prussicarum sibi comparare potuerit cognitionem. Alios Scriptores, qui res Prussicas illustrarunt passim L. B. in Opusculo hoc nostro reperies.